Ille vero statim amoto[a] operculo igneo, cui insedit, et tuba enea puteo immissa tam valide buccinavit, ut Clerico videbatur totus mundus contremere. Post horam, ut ei videbatur, nimis longam[b] puteus eructuante[c] flammas sulphureas, Lantgravius inter scintillas ascendentes simul et ipse ascendit et se ad videndum Clerico prebuit, dicens: Ecce presens sum miser ille Lantgravius, quondam Dominus tuus, et utinam nunquam natus fuissem. Cui Clericus: Domine mi, missus sum a filio vestro, ut ei dicerem de statu vestro, si aliquo modo juvari potestis. Cui ille: Statum meum bene vidisti, scire tamen debes, quod, si filii mei possessiones ecclesiarum redderent, quas michi iniuste usurpavi, magnum anime mee remedium facerent. Cui clericus: Domine non credunt michi. At ille dixit sibi signum, quod nemo, nisi ipse et filii noverunt, et immersus puteo. Demon clericum reduxit: [qui[d]] licet vitam non perdiderit, tamen pallidus et languidus redit, ut vix cognosceretur. Et verba patris retulit, signum ostendit, sed modicum illi profuit, quia possessiones non reddiderunt. Et ille clericus relictis omnibus Cisterciensis monachus factus est.

a) amoto c.

b) loga c

c) ~~eructuatoe~~ c. eructuacoe c.

d) om. c.

Anno Domini M°CLIIII° claret Elisabeth — — usque ad annunciacionem.

Fridericus primus imperium — — fuit gloriosus. f. 109'. Ebend. dict. F.

Iste Fredericus (dux[2] (Swevorum[1]) media quadragesima in Frankfort eligitur et Aquis- ~~f. 109'.~~